



**Conciones siue Conceptvs Theologici Ac Prædicabiles R.  
D. Petro Bessæi SS Theol. Doct. Reg. Galliar. Oratoris**

De Sanctorum Festiuitatibus Anni totius, & aliis solemnitatibus - Opvs  
Novvum, Figvris, Allegoriis, Similibvs Ex Sacris profanisq[ue] Scriptoribus  
plenißimum, cum occurentium fidei controuersiam tractatione .... Editio  
Qvinta. Nvnc Demvm Integre Svppletæ, Concionibvs Per Octauam Vener.  
Sacramenti ...

**Besse, Pierre de**

**Coloniae Agrippinae, 1629**

In Festo Nativitatis Christi.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56262](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56262)



# IN FESTO NATIVITATIS CHRISTI.

## PARTITIO.

- I. De mysterio Incarnationis generatim.
- II. De gemina Christi generatione.
- III. De generatione in tempore figura.
- IV. Nostra inde documenta figuris illustrata.
- V. De involuto panniculis Iesu.
- VI. Magna, mira & laeta in illius natiuitate acciderunt.

Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Ioan. 1.

## FIGURA.

Gen. 7.



**E**LEBRIS ille diuinæ iustitiæ præco, & humani generis ex parte pediti reparator Noe, quem Poetæ bifrontem, & bicipitem Ianum appellant quod & mundi statum, qui ante diluuium fuerit, & qui post diluuium, viderit; cum diuino iussu arcam cum suis intrasset, vniuersum hominum quod restabat genus, diluuiio & fluctibus eripuit, & in tuto collocauit. Figuram hanc hodie re ipsa adimpleram cernimus, Auditores. Videmus hic namque, vt Iesus Christus, verus ille Noe, ex diuino decreto, quod ab ipsa mundi constitutione latum erat, humanitatis nostræ arcam ingrediens, ab æternæ damnationis diluuiio vniuersum genus hominum eripiat, & in libertatem asserat. O diem facilem! o fortunatum nuntium! diem; in qua Verbum fit caro, homo in diuinam naturam cooptatur, qua denique virgo intacto parit pudore! diem plenum

Bessai tom 3 de Sanctis.

miraculis & potentis, in qua vnigenitus æterni Dei filius nascitur ex Virgine, quando tugurium ei loco palatii, præsepium loco curiarum, fœnum & palea loco stragulorum, & aranearum tela loco aulcorum, bos & asinus loco sociorum, pastores loco inuisentium fuerit, diem, qua decantanda sunt natalia, & millies decantanda, idque summo cum iubilo & exultatione. Quod vt accuratius maioriq; cum fructu fiat, Christi mihi incarnationis, aduentus natiuitas, & quidquid admirabile in eodem accidit, modo cœlitus gratia suggeratur, & gloriosa illa puerpera mater Saluatoris precibus nobis suis auxilietur, laetius deducenda sunt: quam obrem Bethlehem vnanimis ad eam, & communem salutatione compellemus:

## AVE MARIA.

Isaias Propheta cum Incarnationis Filii Dei ordinem, eiusque generationis seriem *Isai. 53.*

A &



& quicquid in eiusdem ortu accidit, recen-  
tere decreuisset, communi narrandi deser-  
bendi que ordine relicto admirans exclama-  
uit; *Quis credidit auditui nostro? & brachium  
Domini cui reuelatum est? generationem eius  
quis enarrabit? quia abscissus est de terra uiuen-  
tium.* Quod ipse olim de aeterna vel etiam  
temporali uerbi Dei generatione admirans  
dixisti Propheta, idem hodie de illius ego  
natiuitate dicere compellor, atque exclama-  
re, *Quis credidit auditui nostro? & brachium Do-  
mini cui reuelatum est: natiuitatem eius, partum  
Virginis, & admirabilem eius in hunc  
mundum introitum quis digne enarra-  
bit?*

*Lid. de Patri-  
arch. Bened.  
num. 23.* Refert Ambrosius occultum & obscurum  
esse, unde Rhinoceros animal illud ferocif-  
simura trahat originem: animali huic in-  
scriptura collaris reperitur Deus, *fortitudo  
eius similis est Rhinocerotis*; ut hinc manife-  
stum fieret, natiuitatis eius quo ad diuini-  
tatem secreta & arcana ab humano ingenio  
intelligi & percipi non posse, sed obscurissi-  
ma esse, ac penitus ignota. Verbum Patris,  
Auditores, uerus Rhinoceros est, sed fortis  
& omnipotens, cuius origo, nec in quantum  
Deus, nec in quantum homo, à quoquam  
potest agnosci: est namque secretum peni-  
tus latens & absconditum.

Sapientissimus etiam mortalium Salo-  
mon, quippe qui cœlitus sapientiam na-  
ctus erat, hic incitiam suam & ignoran-  
tiam confitetur: ait enim, tria se ad intelli-  
gendum difficilia, & ingenii captum ex-  
cedentia reperisse, quartum autem penitus in-  
comprehensibile. Audiamus eius uerba;

*Prov. 30.* *Tria sunt mihi difficilia, & quartum penitus igno-  
ro; uiam aquila in caelo, uiam nauis in medio  
mari, & uiam colubri super petram, & uiam uiri  
in adolescentia.* Prima hæc difficultas desi-  
gnabat Christi in cœlum ascensum, secunda  
eiusdem passionem, & gloriosam illius resur-  
rectionem; tertia, & postrema natiuitatem  
eius; quando nimirum humanam naturam  
inductus magna subtilitate & occulte ad-  
modum, per sacratissimum Virginis uerum nul-  
lo in eodem transitionis suæ relicto vesti-  
gio pertransiuit, *Et uestigia eius nō cognoscentur.*

*Psal. 76.*

Quid porro mirum cœcitate hic Salo-  
monem, cum ipsimet Cherubim, spiritus  
illi perspicacissimi, inque omni scientia-  
rum genere uersatissimi iam à primo crea-  
tionis suæ tempore, nihil hic omnino in-  
tellexerint, sed aperte confessi sint, captum  
hoc suum penitus superare. Legimus enim  
in Ezechiele, portentosa illa animalia, fa-  
cta in cœlis uoce, attonita stetitisse, alasque  
submitisse, *Cum fieret uox super firmamentum, Excebat  
quod erat super caput eorum, stabant animalia,  
& submittebant alas suas.* Porro uox illa,  
quæ in cœlo audiebatur, quæque animalibus  
admirationem inuiciebat, erat uox illa,  
*Verbum caro factum est*; uox inquam, qua  
denuntiabatur filius Dei nasciturus. Nam  
subiicitur mox, *Et factus uisus hominis erat su-  
per firmamentum.* Ad uocem hanc Cherubim  
consternati & percussi, intellectus alas sub-  
mittunt, negantque sibi ad mysterii huius  
amplitudinem inuestigandam mentis acu-  
men sufficere.

Et sane Cyprianus, celeberrimus ille Ec-  
clesiæ Doctor, humano natiuitatem hanc  
ingenio negat comprehendere posse, ait enim,  
*In cœteris mirabilibus quocumque modo aliqua  
satisfaciunt rationes, hic solum me complectitur ser. de Chri-  
sti natali.* Id est, aliquo quidem modo reliqua  
Christianæ religionis mysteria comprehen-  
di possunt, sed incarnationis & natiuitatis fi-  
lii Dei penitus nequit intelligi, omnemque  
humani ingenii captum excedit, ut non nisi  
admirationem quandam relinquat. Unde  
Ecclesiæ uerba illa, *Et homo factus est,* pro-  
nuntians, uelut in admirationem, & extasim  
raptus, genua in terra figens, se humiliat &  
prosternit. Et quis oblecto hæc audiendo  
non admiraretur?

Salomon Rex postquam superbum illud  
& magnificum templum extruxisset, &  
Arcam Domini sub alis Cherubim collo-  
casset, innumeratque uictimas immola-  
set, cum templum gloria Domini reple-  
tum cerberet, iuxta quod olim Deus promi-  
serat, genibus in terra positus, & palmis in  
cœlum extensis, alta uoce inclamare cepit:  
*Ergo credibile est, ut habitet Deus cum homi-  
nibus terram?* Si Salomon Deum cum homi-  
nibus commorari tantopere miratus est;  
idque

*2. Par. 6.*



idque non nisi in nebula, & spissa caligine quid obscuro dixisset, fecissetque, si quo nos hodierno die videmus, vidisset, Aeternum nempe Patris Verbum carnem induere, hominem fieri, nasci, ut hominem atque inter homines, & cum hominibus conuersari?

Magi Chaldaei, cum Nabuchodonosoris somnium interpretari non possent, aut quid designaret diuinare, inscitiam suam libere confitentes dixerunt, *Sermo, quem tu queris, Rex, grauis est, nec reperietur quisquam, qui indicet illum, exceptis Diis, quorum non est cum hominibus conuersatio.* Non putabant ecce hi fieri posse, Deum cum hominibus commemorari, sed errant, & nimium quantum errant: veniant enim mecum, & ostendam eundem esse virgine nasci in stabulo, & hominem factum, atque adeo cum bestiis conuersatum: & hoc ipsum obstupescant. Quod autem vos, o Magi, non potestis comprehendere aut credere, Propheta nobis nostri a longo tempore designauit. Baruch

*Baruch. 3.* in primis: *Post haec in terra visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Item Ieremias: *Habitabo vobis, cum in isto loco.* Quin etiam Dauid: *Vi inhabitet gloria in terra nostra:* & post omnes Euangelistas, qui eundem cum hominibus agentem conspexit, *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis,* non quidem in rubi flamma, aut in nube, ut olim in vertice Sinai, sed in nostra humanitate, carne mortali, atque inter Virginis brachia. O sublime mysterium! o miraculum omnium miraculorum maximum! o torrentem imperium

*Psal. 84.*

*Ioan. 1.*

*Ezech. 37.* & intranabilem! cuius olim Ezechiel figuram vidit.

Ostendit huic olim Dominus torrentem rapidissimum, qui est domo Domini emanabat: hunc cum diuino iussu transiret, atque primum talorum, deinde genuum, mox lumborum tenus ascendebant, sed cum procederet ulterius, & caput vnda transcenderet, niab Angelo esset eductus, immerisus perisset.

Torrentis hic Auditores Sacrae Scripturae scientiam designat: quem cum ingredimur, mundi creationem, in ipsa ripa deprehendimus, quam facile quisque intelligit; & in

qua aqua non nisi ad genua usque pertingit. Nam & Plato & Aristoteles eandem peritiam habuere.

Sequitur deinde primi parentis status, iustitia inquam illa originalis, illius amissio, & omnis posteritatis ruina: est hic torrens non nihil profundior, sed si ulterius etiam progrediamur, nostraeque redemptionis, Verbi Incarnationis, natiuitatis filii Dei, idque ex Virgine, mysterium attingimus, aqua in tantum excreuit, torrens adeo insurgit, nulla ut arte tranari possit, aut transuadari, id est, a nullo etiam subtilissimo intelligi haec omnia queant: quotquot enim temere eundem tentare, aut ingredi praesumere, naufragium misero sane exemplo passi sunt. Imprimis impius Cerinthus, qui sub Traiani vixit imperio, cum hunc inconsulto ingressus esset, paruuli huius diuinitatem negans, (ad cuius haesum confutandam Ioannes, referente Hierony-  
*In catalog. de mo. scrip. Eccles.* Mox infelix ille Hereses di- uersae circa Dei filii incarnatione.

Mo, Euangelium suum scribere adortus est) misere submersus est. Mox infelix ille Cerdon, qui duos in rerum natura deos, bonum vnum, alterum malum constituens, (a quo, teste Tertulliano, Marcion haesum hauit) negat hunc verum hominem esse, ut docent Epiphanius, Irenaeus, Augustinus lib. 10. de consensu Euangelistarum, & lib. de Haesibus.

Manes Persa, cuius peruersa dogmata plusquam centum annorum spatio, Arabiam, Aegyptum, Africam occuparunt, nouem quoque annis Sancti Augustini mentem demerantur; credebat, huic non nisi imaginarium hominem esse, ac spiritum quendam in corpore phantastico conclusum.

Valentianus, qui anno post Christum natum centesimo quinquagesimo, sub Antonini imperio, Romae prodit, cuiusque errores Irenaeus recensuit, assererat, corpus eum suum caelo attulisse, non vero esse Virgine assumptis. Nestorius Constantinopolitanus Patriarcha, is inquam, qui Mariam

*Qsomnos*, id est, Deiparam debere appellari, & Deum a Iudaeis crucifixum negabat, qui in Synodo Ephesina, praesidente eodem Cyrillo Alexandrino, condemnatus



fuit, & in ordinem redactus impie docebat, duas in eodem personas, non secus ac naturas extitisse. Eutyches vero e contra adstruebat, duas haece naturas inter se permixtas esse, & vnã in alteram, humanitatem nempe in diuinitatem commutatam. Arius denique Alexandrina Ecclesia, Dionysius, quem trecenti octodecim Patres Niceae in Bythynia congregari condemnarunt, cuiusque haeceis totum pene Orientem infecit, & trecentis & amplius annis in Ecclesia perdurauit, (donec Monachus quidam Arrianus, Sergius nomine, Alcoranum composuit, quo Mahumetanorum errores per orbem diffusi sunt) is inquam Arius docuit, Christum non nisi meram, ac puram creaturam esse, nihilque cum diuinitate habere commune. O blasphemiarum plaustra! ah tristitia horum omnium naufragia.

Hic igitur torrens tranari nequit, & vt rem apertius dicam, hoc a nemine mysterium comprehendi potest. Si enim sensus exteriores in consilium adhibeas, non vident nisi paruulum, qui in stabulo, ceterorum more infantium, plorat & vagit: si rationem addeas, dicet libere, sibi hic haerere aquam, & nescire quomodo qui aternus est, nascatur in tempore, qui impassibilis, patitur, qui infinitus, certis limitibus & finibus circumscribatur; & quomodo homo, qui ne quidem leo fieri potest, in diuinam naturam conuerti queat. Quanta hic voragines & abyssi? proh quanta profunditas?

Helisaeus Propheta corpus suum in corpus pueri viduae extensurus, membraque membris adapturus, occlusit ostium, ne cui hoc pateceret, sed occultum permaneret. Designabat hoc admirabilem verbi diuini cum humanitate nostra vnionem, illiusque magnitudinis ad nostram paruitatem proportionem; per quam nos, velut paruulos mortuos resuscitauit. Voluit autem omnia haec quam secretissime peragi, ne cui hoc mysterium vel Angelorum, vel hominum innotesceret. Hoc nempe aenigma est olim Indic. 14. a Samson Philisthaeis, id est, hominum intellectui, datum, Verbum enim caro factum est, tantam difficultatem includit, quantam Leo

melle plenus. Hoc Euangelista vobis hodie ad diuinandum proposuit, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis; in quo & ipse interpretis munere fungens, dupliciter distinguam. Primo natiuitatis huius triumphum, & historiae seriem latius deducam; deinde quidquid in eadem eximium & admirabile contingit, aut etiam delitescit, exponere conabor.

Principio igitur, antequam longius prouehar, & sinus in ventos laxem, quo mysterium hoc melius intelligatur, scire vos imprimis velim, duas in Christo natiuitates, quemadmodum & duas generationes esse, aeternam vnã, & alteram temporalem: illa, ab aeterno genitus, e foecunda Dei Patris memoria velut sinu, & Verbum natus est; hac vero in tempore de spiritu conceptus, sacratissimo virginis utero, & homo prodit. A priore Ioannes Euangelium suum exorsus est, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, in secundam vero desinit, Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Hac natus est, vt homo e foemina, illa vero vt Deus e Virgine: haec causa est, vt instar paruuli pannis obuoluatur; illa, vt velut Deus ab Angelis adoretur: haec vt instar inopis & miscelli iaceat in praesepio, illa vt Magis adoretur, a stella noua denuntietur, a pastoribus vt omnipotens ac totius vniuersi Creator inuisatur. E quibus omnibus conuincitur, duplicem illius natiuitatem esse.

Nam vt in veste aliqua auro picta, quae bysso tenuissima cooperta sit, transpatet per foramina & incisiones interdum splendor ille interior & rutilans aureorum filamentorum fulgor: Ita hodie in pretiosa illa diuinitatis veste, quae sub vili humanitatis nostrae velamento cooperta latet, elucet interdum per foramina quaedam maiestatis & magnitudinis fulgor. An non enim iugens splendor est, Herodem Regem potentissimum tremere, reges ab ultimo oriente ad adorandum venire, stellas occurrere, Pastores confluere, Angelos in terram descendere? an non ex his omnibus diuinitatis quidam radii elucant?

II.  
Duae in Christo natiuitates.

Paucif-



Paucissimis verbis utramque hanc nativitatem Psaltes expressit, *Semel locutus est Deus, duo hac audiri, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia.* Quod exponens Augustinus ait: *Quomodo ser. et locutus est Deus. Et secundo sonuit, nisi quia Verbum intransgressibile procedens à corde Patris suscepit carnem, et esset homo in utero matris?* Quibus è verbis duo mysterii huius mirabilia colligere est; primo potestatem quandam in Deo admirabilem, qua in tantum naturam nostram exaltauit, ut eam verbo diuino coniunxerit, secundo misericordiam quandam infinitam, quo verbum suum humiliatum exinanitum voluit, nostræ id naturæ copulando.

Et quamvis utrumque hoc admirabile sit, longe tamen admirabilius est, diuinam maiestatem adeo humiliatam, <sup>tanquam</sup> hominum naturam ad tantum decus & honorem euectam cernere. Quod & Leo magnus credidit, à quo ipse hauti, *Mirabiliter sit nobis in Deo humilitas, quam potestas; & difficiliter capitur diuina maiestatis exinanitio, quam seruis forma in summa prouentio.* Quod Evangelista duobus verbis innuit, verbum caro factum est.

Ait aperte, *Verbum, & non Filius*, ut ita generationem quandam spiritualem infinuaret, nihilque carnale menti, aut corporeum occurreret, nam quamvis vere sit filius, non tamen cogitandum est, eodem eum à Patre, quo ceteri, modo genitum, sed alio quodam occultiori & nobiliori. Unde bene vates regius, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te*, id est, in magno illo æternitatis die, quæ nocte careat, tempore illo admirabili, quod omnia complectitur, in quo nullum præteritum, aut futurum, & cui omnia velut præsentia sunt. Addit etiam, *dixit*: quia verbum Dei illius generatio est, os eius mens eius est, atque actus ille, quo filius producitur loquela, aut verbum à sanctis Patribus appellatur.

Pater igitur æternus, omnem suam essentiam cognoscens, filium quendam ab æterno progignit, qui Verbum dicitur, eo quod per modum intelligentiæ procedit, filium

quoque connaturalem, quia eiusdem cum Patre naturæ est genitus, atque is ipse, qui hoc modo ab æterno natus est, hodie in tugurio magna in mendicitate nascitur, *Et Verbum caro factum est.* Rei historia ita sese habet.

Gloriosissima Virgo cum grauida & vterum ferens è Nazareth in Bethlehem, cum fidelissimo corporis sui cultore Iosepho descendisset, Augusti Cæsaris edicto oblectura; quo vniuersus orbis describebatur, & vnusquisque in ciuitate sua profiteri nomen debebat; cum pariendi iam tempus aduenisset, nec locus in diuersis propter affluentem hominum à cunctis locis multitudinem suppetere, stabulum & tugurium, in quo animalia stabulabantur, & rerum inopia ingredi coacta est, & in eo peperit filium suum primogenitum, quem pannis inuoluit, & in præsepio reclinauit.

O beatum partum! o felix puerperum! o tempus tot votis & suspiriis veterum Patrum expectum! Hic scilicet figura veteres adimplera sunt, & quidquid olim præsignatum, hodie re ipsa contigit. Videte enim, ut Noe noster, finito damnationis diluuiio, arca, vteroque inquam Virgineo egrediatur, quo humanum genus restauret, homines in veram libertatem asserat, & a damnatione immunes reddat.

Videte laterculum, monte hodie descendente, a nemine tamen impulsus, qui statim comminuet, suæque magnitudinis vniversum terrarum orbem replebit. Lapis hic Christum designat (*Petra autem erat Christus*) qui hodie vteroque Virginis, quæ in sacris litteris montis nomine sæpius appellatur, (*Mons in vertice montium*) sine vilo hominum adminiculo, sed cooperante tantum Spiritu S. descendit, qui peccati idoli destruet, atque euertet; & nominis sui gloria orbem replebit, nam à *solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini.* Videte hic opulentum illum fluuium, qui instar torrentis rapidissimi paradiso voluptatis emanat; videte inquam, Dei filium, qui è virgine, quæ vere paradisi voluptatis est, hodie egreditur, fluuium illum infinitas secum diuitias trahentem, torrentem illum aquæ viuæ, quæ

III.

Figura veteres in Christi natiuitate completa.

Psal. 112.



animas nostras perlauabit, peccatorum maculas eluet, mundumq; vniuersum fecundum & vberem reddet, fluium illum admirabilem, de quo in Ecclesiastico legimus:

*Eocl. 24.* Ego quasi fluius Dorin, ego quasi aquaductus exiit e paradiso.

Nunc ad oculum patet enigma illud obscurissimum, quod Ioannes olim in Apocalypsi sua proposuit: *Vidi, inquit, alium Angelum, fortem descendentem de celo, amictum nube, & iris in capite eius.* Angelus hic, Auditores, Iesu Christi, qui vere Angelus Testamenti est, imaginem gessit, hic enim celo cum descendisset (a summo calo egressio eius) nocte hac virgineo egreditur vtero, carnis nostre nube coopertus, c rucis aliquando iridem in capite gestaturus, quæ vere arcus cælestis est, ac pacis inter nos & patrem illius initæ symbolum.

*Apoc. 10.* Prædixit olim Isaias venturum aliquando tempus, quo Dominus super nubem leuissimam veheretur, itaque Ægyptum ingrederetur, ad cuius ingressum omnia illius simulachra comminuta in terram deciderent. Audiamus oraculum: *Ecce Dominus ascendit super nubem leuem, & ingreditur Ægyptum, & commouebuntur simulachra Ægypti a facie eius.* Post longam disquisitionem videntur hæc omnia mihi hoc natali Domini die contigisse, hodie quippe paruulus ille, qui in præsepi vagit, humanitatis nostre nube, & quidem leuissima, quia nullo peccati pondere grauatur, vctus Ægyptum mundi huius ingreditur, & ecce ad eius introitum omnia idolatriæ simulachra, & mundi idola prosterantur in terram, & inimici nostri in fugam se coniciunt.

*Psal. 18.* Hodie quoq; omnia omnium Prophetarum oracula finem accipiunt, & vera fuisse, comprobantur, vt imprimis illud Malachiæ, *Orietur vobis Sol iustitæ* Non immerito autem gloriosam hanc Domini natiuitatem soli exorienti comparatæ: nam quemadmodum sol mane exorientis, & in nostro horizonte apparens, relictis Antipodum sedibus idem omnino sol est, qui hætenus, & ab initio fuit, quamuis nobis recenter oriens, nouus esse videatur. Ita quoque Dei filius, tamen hodie natus ex Virgine, esse non incipit, erat

*Malach. 4.* quippe ab æterno: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum;* hodie tamen nobis recenter exoritur, nostram indutus carnem, humanaque natura circumuestitus: *Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Eadem loquendi ratione vsus est Zacharias, quem etiam Prvphetam appellare licet, *Visitauit nos oriens ex alto:* non ait tantum *oriens,* sed subiungit *ex alto:* quod is, qui filius erat Altissimi, celo descendens, terramque visitans, homo factus hominibus sese ostenderit.

Vterq; vates ecce Christi natiuitatem soli exorienti comparat, forsitan, vt innueret, idem hic omnino contingere, quod olim Ezechia regis tempore accidit. Hodie namq; sol iustitiæ solitum cursum interrumpit, decemque gradibus retrocedit. Ipse quippe Dei filius hominem induens infra nouem Angelorum choros descendit, *Ministri eum paulo minus ab angelis:* & mox, *verbum caro factum est,* an non igitur decem gradibus retrocessit? O quanta humiliatio, quanta retrocessio! is, qui æterno fixatis sinu egredi solebat, hodie temporali Virginis vtero egreditur: dicitur namque, *Et peperit filium suum primogenitum.*

Hodie quoque completur, quod in ipso mundi exordio contigit, quando nimiru Adæ dormienti Dominus costam abstulit, ac nouam eius loco carnem in didit, quo facto excitatus protoplastus, oculosque in Euam cõiciens, ait: *Hoc nunc os ossibus meis, & caro de carne mea.* Hac de re ad Ephesios agens Paulus, mysterium hic magnum latitare insinuat, *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo.* Omnes enim Patres, & imprimis Augustinus, docent maximum hic ab initio mysterium designari, quod in verbi incarnatione & admirabili eius è Virgine Natiuitate contingere debebat. Pateriquidem æternus vnã è costis suis, i.e. verbum suum, quod in intellectus eius sinu delitescerat, carne nostra mortali cooperuit, idq; vnione quadam admirabili. Nam verbum & caro post hanc copulam non nisi vnã hypostasim constituebant, adeo vt Deus factus sit homo, & vicissim homo Deus, & verba illa Adæ vsurpare potuerit, *Hoc nunc os ossibus meis,*

*4. Reg. 20.*

*Gen. 2.*

*Ephes. 5.*



*Isais, & caro de carne mea.* Non possum autem satis similitudinem hanc demirari; quæ tam scite Verbum carnem factum, & humanitate nostra circumdatum, ossi, quod carni & corpori unitum est, comparet.

1. Primo, sicuti os vel costa sub carne semper aut pelle delitescit, ita verbum illud Dei, carnatu cõ- carnati humanæ annexum semper sub eadem ferrur coste latitat, corporisq; nostri densitate, veluti tenebris quibusdam obsidetur: quo alluisse visus est Psalmista, dum canit: *Quis po. ut veneras latibulum suum*, ac multo apertius *Isais, Vere tu Deus absconditus*, sub mortali humanæ naturæ pelle delitescens.

*Psal. 17.*

*Isai. 45.*

2.

Secundo, sicuti ossa iuxta medicos, natura sua nullum sentire dolorem quunt; cum nulla anima sensitiva, sed sola vegetativa, prædita sint, adeo ut quamvis aliquem interdum cruciatum sentiant, hoc non è natura sua, sed propter carnem, cui unita sunt; fiat. Ita Verbum Patris ex se nullum ocolorem aut cruciatum sentire, nullum laborem perferre, nihil pati, etiam in præsepio positum, poterat. Sed penitus impassibile erat: adeo ut quidquid hodie in stabulo ferat, totoq; vitæ tempore passurum sit, carni nostræ, quam sibi adaptavit, sit adscribendum. Vnde in passione illius adimpletam illam prophetiam legimus, *Os non comminuetur ex eo*: eo quod os illud Verbi diuini in cruce semper integrum & immutabile permanfit, nulli læsioni, aut vulnere obnoxium.

*Ioan. 19.*

3. *Arist. 2. de par. anim.*

Tertio, quemadmodum ossa in corporum nostrorum compositione & compaginatione carnem exteriorem sustentant, ut doctissime demonstrat Aristoteles, non secus quoque Verbum illud diuinum in parvulo illo, qui hodie nascitur, instar ossis semper se gessit: ipsum namque carnem illius sustentavit, ipsum fuit, quo subnixæ actiones illas admirabiles, quibus salutem nostram operatus est, edidit, vnde Dominus IESVS CHRISTVS, velut homo, sibi ipsi, ut verbo, loquens ait apud Prophetam, *Viligam te D. mine*, ò verbum æternum, in sempiternum, quia tu es *fortitudo mea*, robur & auxilium meum, *Dominus firmamentum meum*, atque Deus meus, & omnibus in re-

*Psal. 17.*

*Heb. 1.*

bus protector & vindex, qui portat omnia verbo virtutis suæ. Hoc igitur os, verbum hoc, Deus denique ille, humanitatis nostræ carne vestitus, hodie ventre virginali egreditur, pannis inuoluitur, & in præsepio reclinat.

Totus hic orbis obstupescat, hoc demiretur, hic præ admiratione mortales deficiat & consternentur. Abacuc quidem Propheta *Abac. 3.* natiuitatem hanc & paupertatem verbi Dei demiratus animo concidit & expauescit: ita namq; secundum Septuaginta eius verba leguntur: *Considerasti Domine opera tua, & expaui, in medio duorum animalium cogno, ceruis, qui medius inter Angelorum choros versari solebas.* Et quis, obsecro, non miretur, Domine, cum te in tanta paupertate nascentem videat, in stabulo loco palatii, in præsepio loco throni reclinatam, in palea loco aulætorum extensam, à pastoribus loco purpuratorum stipatam. Quid, Domine mi, quid nãseris in tugurio, viuis in deserto, in cruce denique nudus mortis? quis hic non obstupescat? quis ad tantam tuam paupertatem non expauescat?

Admiratur Propheta vile id duorum animalium consortium; *In medio duorum animalium cognosceris*, & merito; quis enim hoc vidit unquam? simul etiam magnum aliquod mysterium innuebat. Vicit olim Deus agros asino & boue vni iugo copulatis proscindi: *Non arabis in boue simul & a. Deut. 22.* *sino.* Hoc nempe in Messie aduentum referuabatur; videte namque ut tugurium subeat, præsepio se admoueat, bouem & asinum combinet, & vni iugo adcopulet, ut vastum mundi huius agrum proscindat, crucis suæ vomere inculta eius arua subigat & præparet, quo sementem Euangelii suscipiant. Quis non obstupescat hæc omnia perpendens, & Deum in præsepio reclinatam videns?

Regina Sabæa, visa Salomonis maiestate, *2. Paral. 2.* ministrantiumque decore & ornatu, adco obstupuit, ut spiritus ultra in ea non remanserit. Quo quæso stupore eadem fuisset percussa, si nostri Salomonis paupertatem intuita fuisset? si eum pannis vilibus inuolutum.



lurum, in foeno iacentem, in duro praesepio reclinarum conspexisset? Si, inquam, filium Dei in stabulo ventis peruiso & putido natum, inter animalia constitutum vidisset? tunc scilicet praestupore non fuisset spiritus ultra in ea.

Daniel Propheta cum Angelum splendidi indutum vestibus conspiceret, in tantum expauit, vt exanimis in terram conciderit, & dixerit: *Dominem me, in visione tua dissoluta sunt compages n. ea; & nihil remansit in me virium, & quomodo poterit seruus Domini mei loqui cum Domino meo? nihil enim remansit in me virium, sed & habitus meus intercluditur.* Quid? vnus Angeli conspectus si sanctissimum virum potuit percellere, quomodo omnium Angelorum Regis eum paupertas perculisset, qui tanta modo in egestate in stabulo iacet, medius inter animalia. Merito igitur hic homines simul & Angeli obstupescant.

III.

Prodeant iam in scenam figurae veteres, sed elucidatae, & iam non amplius figurae. Hodie scilicet Arca Testamenti sub pellibus sita est, id est, diuinitas sub humanitatis nostrae delitescit pellibus: quamobrem ad confusionem nostram merito illud Dauidicum dicere possumus: *Videsne quod ego habitum in domo cedrina, & arca sit in medio pallium?* & illud Vtrix: Arca Domini in deserto exposita est caeli iniuriae, ac sub tentoriis militaribus, & Dominus meus Ioab super faciem terrae manet. Sacrae scilicet humanitatis Domini nostri arca Regum & Principum palatiis eiecta, diuersorioque carens, in stabulo deserto commoratur: & summus ille dux Christus, carnis nostrae loriceam indutus, super dura in tugurio, inter bouem & asinum iacet. Hodie Rex Israel, bello deceraturus, habitum mutat, id est, hodie Filius summus ille Regum Rex colorem, schema, & maiestatem exiit, & alium habitum assumpsit; cum Deus esset, homo; cum magnus, parvus; cum opulentus pauper effectus est, bellum & conflictum cum peccatis, ac diabolis initurus.

Exod. 4.

Hodie manus illa Moysis sinu educta lepra inficitur: id est, hodie filius Dei aternitatis sinu eductus, dextra illa Patris, formam

peccatoris, qui spiritualiter leprosus est, induit; vnde Isaias, *Nos putauimus eum quasi leprosum.* Obseruauit idipsum Psalmographus, dum ait: *Hac mutatio dextra excelsi.* Ille siquidem, qui in Angelos exercere dominium solebat, bestiis hodierna die obsequitur, ille qui caelos & caelestia habitacula incolere solebat, in stabulum se recipere compellitur; ille, cuius maiestatem & nutum tota terrarum machina tremere solebat, coram bestiis hodie plorat & contremiscit. O rerum vices! o subitam metamorphosim! ecquae Deus hanc mutatio! Exclamare igitur cum Psalmographo potero, & cum Patre caelesti expostulare; *Vt quid auribus manuum tuam, & dexteram tuam de medio sinu tuo,* vt eam mundo in summa nuditate manifestes?

Legitur Alexander Macedo, Perside subacta, Persicum etiam habitum assumpsisse, Macedonico tamen cultu non omnino neglecto, quo vtriusque sibi gentis amorem & benevolentiam conciliaret. Ecce potentissimus ille caeli ac terrae Monarcha Christus Iesus, mundi limites ingressus, vt in hominum sese amicitiam inclinaret, eorumque animos demulceret, humano se more vestiuit, humanum schema & formam induit, vestem inquam discolorum, quae tum ad diuinitatem, tum ad humanitatem referri queat, *Et verbum caro factum est;* & alibi manifestius, *Et habitu iuuentus vt homo;* vt ad oculum videre possumus: iacet enim in praesepi pannis inuolutus.

Jonas Propheta cum Niniuen ingressus, per plateas ac vicos inelamasset; *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur;* Rex, vt flagellum, quod Dominus parabat, auerteret, vrbisque & regni cladem auerteret, purpuram exiit, sacco & cilicio lumbos accingit, cinere & sordibus caput conspergit, omnemque fastum regium repudiat, ac fastidit. Simile quid hodie videbimus, Auditores. Inclamabat siquidem aeterna Iustitia, Percat nefanda illa Adami progenies, vindictam & flagellum perfida illa praeruaricatio promereatur, damnetur homo, supplicium contumaces illi luant: & ecce confestim summus ille coelorum

Mo-



Monarcha loco se proripit, ut Patris furorem & irā mitiget, palatio suo egreditur, SS. Trinitatis thronum deserit, diuinitatis splendorem ac maiestatem exiit, & sacco se humanitatis nostræ cooperiens, ac mortalitatis nostræ cineribus caput aspergens, in præsepio extensus & pannis inuolutus iacet.

Exod. 33.

Hebræi cum idololatriæ mania in præcepti vitulum aureum diuinis affectissent honoribus, eumque velut libertatis vindicæ, omniumque bonorum largitorem nequiter adorassent, præcepit Deus, ut in corde contrito & humiliato ad se conuerterentur, omnem ornatum extrinsecum deponerent, aurum & monilia reicerent, & cilicium membra edomarent. si pacato uti vellet numine, quod & ita factum est. Idololatriæ crimen incurerat homo creaturâ creatoris loco adorando, diuinamque iustitiam in se prouocauerat; & ecce vnigenitus Dei filius, ut Patris iram auerteret, furorisque illius actum exstingueret; magnificentiam illam regiam diuinam maiestatem ad tempus seponit, inque stabulo pœnitentiæ veste indutus nasci voluit.

Exclamare igitur libere potero, ô ingens humilitas! ô amor ineffabilis! ô paupertas extrema! ô mutatio penitus admirabilis! ut nimirum is, qui Angelos inter agere consueuerat, medius inter diuinas personas esse, in throno gloriæ consistere; modo in stabulo habitat, in fœno & stramine extensus sit, inter bestias agat, & in præsepio aulam teneat:

Sev. de Nat. Christi.

Heu quantum miratus ab illo Hebreo! Explicat hanc metamorphosin egregie Cyprianus, *Panniculi pro purpura, pro bysso in ornatu regio lacinia congeruntur*, ut ita humilitatem disceremus. Hinc mater eius voluntati satisfacere volens, & eiusdem cum illo desiderii, *pannis eum inuoluit*.

V.

Quatuor de causis homines cõquebantur.

Quot nobis mysteria declaratis, ô panniculi, quot occulta & arcana Sacramenta inuoluitis? Quatuor olim de causis homines de Deo conquebantur: primo, quod esset quodammodo inaccessibilis, & non nisi magno sudore ac difficultate inueniretur. Atque hinc clamabat ad Dominum Dauid, *Fuerunt mihi lachryma mea panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus?* Optat ec-

I. Psal. 41.

Tom 3. Bessai de Sanctis.

ce, ut Deus humana forma indutus hominibus sese manifestet. Deinde, quod manus eius nimis essent graues. Ita enim de eisdem conquestus est Iob, *Manum tuam longe fac à me*. Terrio, quod nimis esset in loquendo austerus & durus. Hinc Hebræi dixerunt Moysi, *Ne loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*.

2.

Iob. 13.

3.

Exod. 4.

4.

Isai. 6.

Postremo, quod tamen placidum se demonstraret, super thronum tamen plenus maiestate & gloria consideret; vnde Isaias: *Vidi Dominum super solium exaltatum & eleuatum, & Seraphim stabant, & clamabant, Sanctus*. At desinant iam de Deo conqueri mortales, omnia iam commutata sunt. Annuntiant siquidem hodie Angeli hominibus: *Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio*. Quasi dicerent, Eia Pastores, nolite iam amplius de Deo vestro conqueri, inuenietis quippe eum non iam in cœlis tonitrua fabricantem, sed ut paruulum vagientem: manus etiam eius iam non amplius graues, aut plumbeæ sunt, sed pannis & laciniis inuolutæ: non iam solio sublimi sedens conspicitur, sed in præsepio durissima reclinatus: non iam circumstatur eum Angeli, sed bruta animalia. Accedite igitur ad eum, hunc Deum affamini mortales, maiestatem eius nolite perhorrescere, aut manu illius seueritatem metuere; has namque mater, & torum simul corpusculum pannis inuoluit, & reclinat in præsepio.

O panni, ô præsepe, ô tugurium penitus admirabile! Videte, obsecro, Auditores, ut generosus ille & inuictus Samson in sinu virginis ligatus & victus ludat: nimis erga Dalilam, i.e. humanum genus, amor his eum vinculis irretiuit. Quis vnquam crediderit, inuictissime Samson, amore te ita fascinandum, ut fœmineis brachiis stringeris? Itane amoris incendium in animo tuo exarsit? Dixit olim nescio quis, *Amare & sapere vix Deo conceditur*; ad eundem quoque modum dicere possumus, amorem Dei erga humanum genus stultitiam & insaniam mundanis hominibus videri. Quod innuit Apostolus dicens: *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, iudeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiã*. Mundani nempe stultum esse aiunt, summi Dei filium nasci in stabulo, in præsepio vagire, inter bestias plorare, ac deinde in cruce sum-

Iudic. 16.

1. Cor. 1.

B ma



ma cum ignominia emori. Sed quam perperam ac stulte iudicatis! *Nam quia stulti sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes. Quod nempe vos stultum existimatis, paruulus hic velut sapientissimum & subtilissimum amplectitur.*

*Iob. 38.*

Hodie quoque quaestio illa Iob soluta est, *Quis conclusit, inquit, ostium mare, quando erumpebat quasi de vulua procedens? cum poneret estimentum eius, & caligine illud quasi pannis infantiae obuoluerem? Mare hoc Dei verbum appellare possumus, mare, inquam, à quo omnia gratiarum ac charismatum flumina originē sumunt, & in quod iterum deuoluuntur. Hoc ipsum in utero Virginis veluti repagulis quibusdam coactum fuit ac retentum, & in eodem carnem nostram induit: sed nocte hac egressum & erumpens perque omnes mundi seles regiones diffundens, pannis infantiae obuoluitur.*

*Gen. 2.*

Noli iam amplius, ô Adam, Dei vocem veritus sub arboribus delitescere, eo quod nudus sis, aduenit enim qui nuditatem tuam cooperturus est, panniculis quippe suis eam tegere iam coepit. Ecce aliud; primus ille Adam Paradiso terrestri exactus, mortuorum animalium pellibus sese vestiuit, quo se mortalem ostenderet: & ecce, ad hunc modum secundus Paradiso caelesti vltro egressus panniculis inuoluitur; quo demonstrat se moriturum, & sindone munda inuoluendum. Quin etiam is ipse, qui modo pannis hic iaceret obuolutus, vestibus aliquando nudatus in cruce agetur: & ille qui Cherubim splendore circumcingit, qui liliis agros vestit, qui aibus plumeas vestes concedit, qui operit caelum nubibus, non nisi vilibus pannis inuolutus serpit in praesepio.

*Psal. 48.*

Quid? nasci in stabulo, in praesepio delitescere: quot hic teguntur mysteria, & quidem arcana? Homo namque cum felicitatis suae & splendoris ignorans, brutalem naturam induisset, immortalitateque & beatitudine caelesti, ad quam destinatus erat, excidisset, mortalis effectus est, & miserimus: *Homo, inquit Psaltes, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus. Atque ideo Redemptor hominis mundum ingressus, ad stabulum diuertit, & bestiarum*

fodalitio gaudere incipit. Vnde idem qui supra, *Homines & iumenta saluasti Domine, quem admodum multi pli aui misericordiam tuam Deus.* *Psal. 35.*

Laudatur in Euangelio Samaritani pietas, *Luc. 10.* qui hominem à latronibus vulneratū & spoliatum equo impositum in stabulum duxit, rationemque illius haberi praecipit. Haec hodierna die parabola vere contigisse dicenda est, puer hic quem videmus Samaritanus est, & quidem benignissimus, & in miseros mortales propensissimus: hunc miserum humanum genus, à peccato & diabolis, animae predonibus spoliatum gratis, & miserrime lauciatum, in stabulum duxit, vt ab eodem salutem & sanitatem consequatur, vulneribus medelam, & gratiarum recuperationem inueniat. Ideo cum Mater reclinauit in praesepio, & exclamare compellor:

VI.

O stabulum regium, ô pannos diuinos, ô praesepium aureum, ac longe splendidius & augustius quam Romana Capitolia! Equorum curiliū praesepia quadraginta millia, & duodecim millia equestriū erant Salomoni: at nihil haec omnia sunt, si cum Christi tugurio & stabulo conferantur. Extollit splendorem eius, omnibusque regum palatiis anteponebat Bernardus, dicens: *Absconde Maria noui fulgorem solis, pone in praesepio, inuolue pannis infantem: nam & ipsi pannus diuinitas nostra sunt, pretiosiores siquidem panni Saluatoris omni purpura, & gloriofius hoc praesepe auratis regum solis, ditius paupertas cunctis opibus, cunctisq; thesauris saeculi.* *Serm. 14. in vig. Natiu. Dom.* O meditationem tanto viro dignissimam. Aliam non minus piam & luculentam habet de eodem stabulo Fulgentius Episcopus Afer, *Archelaus Herodis filius natus est in palatio, Christus in diuersorio, Archelaus natus in lecto positus, Christus autem in praesepio est reclinauit, ille pretiosis inuolutus est sericis, iste vilissimis inuolutus est pannis: & tamen ille contemnitur, iste quaeritur, & inuentus suppliciter adoratur.* Id est, maiori in pretio sunt stabulum Christi, quàm Archelai palatium; viles lacinae, quam vela byssina & aulae aulae; praesepium illud mucidum, quam solia Principum; maioris denique aestimantur bos & asinus, quam tota Herodis cohors. *In ser. quodam.*

Egre-



In signis me  
ditatio.

Egredere igitur anima mea, egredere superbis illis mundi palatiis, & stabuli huius limen supplex & in terram prostrata exosculare: descende cum pastoribus de vanitatum tuarum collibus, & ad præsepium hoc accede, hic paulisper morare. & res penitus admirabiles intelliges. Ille namque paruulus, qui in præsepio iacet recens natus, qui vix ocellos aperit, qui panniculis involutus est, qui tam tener vagit, & plorat, in quantum homo, nouit quidquid scire potest, sapientissimus est ac peritissimus, Platonem confunderet, Aristotelem argueret in scitiam, Angelos doceret, de illo namque scriptum est, *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratia & veritatis.* Verum in quantum Deus, tametsi in præsepio iaceat, humeris vniuersam mundi machinam sustentat, totum orbem lumine suo flectit ac moderatur, cœlestes orbis impellit, ventorum habenas remittit & contrahit, denique omnia regit atque administrat. O puer vere admirabilis! inspicere, obsecro, anima, intueri propius & accuratius, ille quem cernis digitulus cœlos condidit, illa lingua, quæ nondum fari potest, legem quam omnes obseruent, necesse est, promulgauit, ocelli illi semipatuli limbum Patrum penetrant, atque inspiciunt, quidquid rerum in orbe agatur: *Oculi eius super gentes respiciunt.* O prodigia, ô mirabilia! Sed heus, secundum me orationis stadium ingressum aduerto, cursum igitur prosequar.

Ioan. 1.

*Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratia & veritatis.*

Psal. 65.

*Oculi eius super gentes respiciunt.* O prodigia, ô mirabilia! Sed heus, secundum me orationis stadium ingressum aduerto, cursum igitur prosequar.

Sane cum omnia quæ in admirabili Saluatoris nostri natiuitate contingunt prodigia perpendo, nullum esse diem censeo, qui cum hoc conferri queat, ille namque omnium pulcherrimus, ille dies nouus ac penitus admirabilis. Quidquid enim hic perspicio, miracula & prodigia sunt, naturæ siquidem hic leges & iura violantur, & omnia mysteriis sciant. An non enim admirabile est, Dei filium hominis filium fieri? an non portentis simile, eum, qui ante omnia sæcula fuit, in medio sæculorum nasci? eum, qui secunda Dei patris memoria egrediens est, vtero prodite virginali? eum, cuius magnitudinem cœlum non capiebat, stabulo contineri? eum, qui posuit in sole tabernaculum suum, hodie in

præsepio thronum figere? de eo denique, de quo ante occinebatur, *In principio erat verbum, iam cani, & Verbum caro factum est.* O res penitus nouas & admirabiles!

Hodie scilicet omnia mutata sunt: ipsa nempe temporalitas in aternitatem, seruitus in libertatem, mors in immortalitatem, humanitas in diuinitatem, peccatum in gratiam, contemptus in gloriam, paupertas in affluentiam, infirmitas in robur transit. O admirabilem metamorphosim! sed audiamus & aliam longe magis admirandam. Hodie siquidem hinc Deus fit homo, immortalis mortalem se reddit, imparibilis ad patiendum se disponit, qui infinitus est, certis vult limitibus ac finibus circumscribi. Illinc vero homo in Deum transformatur, creatura in creatorem temporis subditus spatio in aeternum, seruus fit Dominus, & qui pauperrimus erat, diuitiis amplissimis donatur. Hodie quin etiam Angeli descendunt cœlo, nouæ in cœlo stellæ collucet, virgo parit, anima quædam vnico momento gratia repletur, hodie denique Deus per filium nobis locutus est, vt bene obseruauit Apostolus, *Nouissime autem locutus est in filio.* Hebr. 1.

Quid igitur miram, totum hodie mundum in admirationem rapi? Vniuersus terrarum orbis Augusti edicto describitur, pax per omnes mundi angulos dominatur, atque ideo vt scribit Orosius, Iani templum ab Augusto occlusum est, vt nimirum Psalmographus veritatem dixisse comprobaretur: *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.* Idem Imp. veritat, ne quis Domini sibi nomen arroget: Tres Magi stellæ ductu ab extremis orbis finibus in Bethleem proficiscuntur, Herodes Ierosolymis tremit, Doctores legis & Scribæ Prophetarum oracula consulunt. Nouus adhuc in oriente Planetes exoritur, pastores Angelicam symphoniam audiunt, bos & asinus infantem proni adorant, vineæ Engaddi flores emittunt, idola ad terram deiiciuntur, sol in tres scindi partes visus, fons Romæ oleum scaturit, in Tiberim sese exonerat, ô diem prodigiis & portentis plenum!

Diem, inquam, qua quidquid olim de Virgine gloriosa iam ab ipso mundi exordio prædictum



Gen. 2. dictum est, completum cernimus. Primus  
 humani generis parens Adam ē terra virgine  
 Gen. 20. formatus est; secundus ē Matre virgine na-  
 scitur. Primum Isaac sterilis vetula genuit,  
 Exod. 1. secundū tenera virguncula: hodie rubus ar-  
 Ind. 6. det, & non cōburitur: hodie vellus Gedeon-  
 nis circumcirca irroratur, & tamen non ma-  
 descit. Hodie Maria porta fuit, de qua in  
 Canticis. O igitur dies felicissima, dies qua  
 hominibus latitiā attulit, quod Redempto-  
 rem inuenerint, Angelis quod Dominum na-  
 cti sint, Patribus limbo detentis, quod Mes-  
 siam aduenisse iam sciant. Quodnam enim  
 illos sensisse gaudium putatis, cum desidera-  
 rum illum cunctis gentibus natum audire,  
 de illis scripsisse censeo Psalmographū, dum  
 Psal. 117. canit: *Vox exultationis, & latitia in tabernacu-  
 lu iustorum.* Quosdam eorum audire dicentes  
 videor, vt in primis Adamum, Ecce hic arbor  
 vitæ. Ecce hic arca, inquit, Noe, quæ nos om-  
 nes diluuiō eripiet. Ecce, dicit Abraham,  
 feminis mei benedictio. Ecce, addit Iacob,  
 scala, cuius vnum cacumen vidi cælum, alter-  
 rum terram ferire. Ecce hic, exclamat Mo-  
 ses, rubus meus ardens. Ecce hic, subnectit  
 post omnes Daniel, lapis de monte auulsus.  
 His aut similibus inter se verbis illos vsos me-  
 ditari possumus, sibiq; mutuo de Saluatoris  
 aduentu gratulatos. Hæc scilicet apud limbi  
 incolas exultatio & iubilus.  
 An non & tu iubilare potes, o homo, &  
 io pæan concinere, cum videas hodie naturā  
 tuam ad tantam dignitatem euectam? In  
 posterum enim Angeli huic sese submittent,  
 hominibus cultum & venerationem exhibe-  
 bunt, cum ipsi prius homines honorem exhi-  
 buerint. Tantum enim abest, vt Angeli ante  
 hunc diem ad pastores accederent, vt ab ipsis  
 ducibus, regibus, & Prophetis adorari se per-  
 miserint. Vnde Abraham tres vidit, & vnum  
 Gen. 18. adorauit. Verum cum post Domini natiui-  
 tatem Ioannes vnum eorum adorare voluif-  
 set, inhibuit ille, & ait, *Cave nefeceris, conuersus  
 tuus sum.* Hinc Lucifer, teste Bernardo, in-  
 uidiæ suæ & æmulationis sumpsit exordium,  
 & aduersus dignitatem coniurationem iniiit:  
 cum enim reuelatione didicisset, Deum ali-  
 quando in humana forma cum hominibus  
 conuersaturum, videretq; sibi eandem sub

Deo latitantem adorandam esse; iam (quia  
 legem tulerat Pater æternus: *Et adorent eum* Heb. 1.  
*omnes Angeli eius similiter*) secum statuit, cœ-  
 lo cœlestiq; beatitudine carere potius, quam  
 Deum incarnatum adorare, hominumq; id-  
 eo felicitati, ac forti inuidere.

Celebrem igitur hodie cum gaudio Nata-  
 lem Domini, quia dies hic in causa est, vt iam  
 de illo, de quo canebatur, *Lumen de lumine*,  
 canatur, *Et homo factus est.* Inualescet in po-  
 sterum in omnibus mundi academiis verax  
 illa propositio, *Deus est homo*, & e conuerso  
 illa, *Homo est Deus.* In posterum siquidem  
 Athenis Deus ille ignotus annuntiabitur,  
 Romæ verum esse cōprobabitur, quod fieri  
 nemo posse existimabat, Virginem peperisse;  
 Hierolymę sermo erit venisse Messia & per  
 vniuersum terrarum orbem spargetur admi-  
 rabilis illa filii Dei incarnatio & Christi na-  
 tiuitas. Dixi Romæ mentionem fore Virgi-  
 nis, quæ peperisset, quia Innocentius III.  
 scriptis prodit Apollinē in templi pacis, quod  
 Romani extruxerunt, dedicatione, sciscitan-  
 tibus quando templum hoc interitum es-  
 set, respondisse, quando Virgo sine virginita-  
 tis violatione pareret. Quod cum Romani  
 fieri non posse crederent, illud æternum fore  
 augurabantur, sed hodiernus virginis partus  
 ipsum ad solum prostravit & euerit.

Hæc igitur curiosis prodigiorum huius  
 diei indagatoribus dicta sufficiant; satis sit  
 hodie Verbum carnem factum esse, hodie  
 temporalem filii Dei natiuitatem esse, quæ  
 quam proxime ad illam æternam accedit. In  
 hac enim Pater seipsum inspiciens, sui ipsius  
 conceptum generat, qui cum accidens esse  
 nequeat (nulla enim acidentia in Deo) manet  
 substantia, cumq; alia substantia, quam sui  
 ipsius esse non possit (Deus enim simplex est,  
 non compositus) Deus est non secus ac Pa-  
 ter. In illa vero cum vna natura iam indiui-  
 duata sit, seque supponere cupiat, diuina eam  
 hypostasis sustentat, & eam in se terminans,  
 & subsistere faciens, efficit, vt quoniam vna  
 eademq; persona duabus naturis est insigni-  
 ta, & homo fiat Deus; & Deus homo. Hic  
 scilicet omnium mirabilium abyssus est.

Præterea in hac æterna Dei Verbi gene-  
 ratione & natiuitate manifestum est, diuinā  
 essentiam



essentiam ad intra tribus personis communicari, tresque personas in vna eademque essentia communes esse: verum in illa temporali vnam personam duabus se naturis ad extra communicare, duasque naturas vni personae communes reddi: illic verbum consideratur increatum, at hic incarnatum; illic pure Deus & solus Deus, hic Deus simul & homo. Ab aeterno non nisi vnus est Deus, & tres personae, in tempore vnus est Iesus Christus, & duae naturae. In magno illo aeternitatis die, Pater & Filius, ac Spiritus S. non nisi vnum creatorem constituunt, ac celebri & admirabili Natalis Domini die Deus & homo vnu constituunt Redemptorē: in priori omnia naturae iura violata sunt, tria non nisi vnam efficiunt essentiam, tres qui sunt Deus, tres tamen Deos non statuunt, vna quoque eademque natura in tribus personis subsistit, aliaque accidere admirabilia: in posteriori omnia mundi huius evertuntur, duabus scilicet substantiis in vna hypostasi consistentibus, vna vero natura sine propria substantia subsistente, duobus Esse perfectis, non nisi vnam eandemque personam constituentibus; aliisque prodigiis miraculisque accedentibus quae quatuor hisce verbis continentur: *Et Verbum caro factum est.* O natalem prodigiis & mirabilibus scaturientem! equidem toto vitae meae tempore nihil tantopere praedicabo & demirabor.

Vestras quoque hic partes agite, Christiani, in aduentu Messiae cantate, cum Angelis concinere, eorum vos cantui adaptate; iubilate Deo in natali Filii Dei, verbi incarnati mirabili, per omnia diuulgate, merita personis nati promulgate, eius gloriam decantate, cum pastoribus eum inuisite, & in stabulo hoc iacentem eum adorate. Hic discite humilitatem, paupertatem, ac mundi contemptum, sublimem hanc philosophiam etiam si mutus sit, edocebit, stabulum ipsum schola est, praesepe iugum suggestus, lachrymae gestus, ipse vagitus eloquentia. Discite praeclaram hanc ab Doctore lectionem: & uti varii praecceptorum suorum mores, & naturam imitati sunt, ut Aristotelis gibbum Peripatetici, Cyrenasum Aquilinum Persae, ita vos humilitatem,

ac ceteras Iesu Christi virtutes, quas hic in stabulo demonstrat, emulamini.

Alexander Macedo Persidem subiugaturus, magnam iuuium vim in itinere offendit, adeo ut totum agmen retrogredi fuerit coactum; sed cum omnes itineris difficultate percultos & detritos videret, equo descendens, primus se in niues coniecit, viam parauit, obstacula remouit; & ecce omnes mox regia constantia animati, eiusque gloriam emulantes, subsecuti sunt, ac difficultatibus sese exposuere. Respicite, o Christiani milites, duem vestrum, regem vestrum niues calcantem, respicite, ut acerrimum frigus patiantur, mundi vanitates conculcet, humilitatem ac paupertatem complectatur. Quis obsecro eum non sequatur? quis hic honore non ducetur? id est, Quis non erubescet superbiam consectari, & insolescere, cum regem tantum adeo humiliatum cernat? quis mundum ad exemplum Principis sui non contemnat?

Puer Ionathae filii Saul dominum per saxa & loca confragosa serpentem, quo Philistaeos inuaderet; magna cum fiducia & constantia sequebatur. Armiger quoque Saulis cum dominum gladio incumbentem vidisset, eadem temeritate ductus incubuit, & suo, sui que, tortor & carnifex exstitit. Et ecce dominus noster, Princeps noster, ac Rex noster Iesus Christus nos deducit non per montes & rupes, sed ad solam humilitatem, non ad mortem, verum ad vitam, vanitatem, superbiam, diuitias profigare gestiens; quis vero adeo vecors & iners erit, qui eum sequi detrectet? ipse quum paupertatem amet, quis diuitias ambiat? ipse eum humilitate gaudeat, quis honores mundi desideret? vestrum igitur Ducem sequamini generosi milites, ac toto vitae tempore natalitium Domini ac genethliacum concinite.

Aequum est, o desideratissime & exoptatissime Messia, o vnica spes ac desiderium nostrum, aeternum ut cantemus, cum ipse sis, qui toto mundo salutem attulisti, cum ipse sis, qui humanitatis nostrae arcam ingressus, ab aeternae nos damnationis naufragio eripuisti; cum tu sis, qui cum ante & post dilu-



quum, id est, peccatum vixeris, Ecclesie tuæ vineam plantasti, cuiusque vino, id est, amote inebriatus, mortis somno in crucis arbore, & hodie patientie sopore in stabulo oppressus iacuilti, ac nuditatem tuam, paupertatem omniumque rerum contemptum ostendisti, atque ideo à scelerati Cham progenie, id est, infidelibus, perfidis Christianis, atque adeo vniuerso mundo delusus fuisti. O Christe, olim Verbum increatum, & mundo Verbum incarnatum; Verbum quod fit caro, vt nos Spiritus efficiat & Angelos; Verbum quod humanitatem induit, nobis vt diuinitatem conferret; quod se humiliat, quo nos exaltet, quod fit homo, quo nos efficiat Deos, quod cælo descendit, quo nos eodem ascendamus, quod in stabulo iacet, nos vt cælo inferat, quod in præsepio reclinatum est, nos vt in regio throno collocet; quod inter animalia conspicitur, quo Angelorum consortio gaudeamus. O Messia, Christe ac Domine vere admirabilis, ac digne, qui in perpetuum celebreris, gratiam obsecro nobis concede, vt humilitatem tuam agnoscere, paupertatem imitari, vitæ tuæ seriem sequi valeamus, vt laudes tuæ nostra sint in posterum carmina, tua mirabilia, quæ edis opera, nostra admiratio, tuæ virtutes nostra imitatio; tuæque agendi ac viuendi ratio nostra disciplina, ac tories Messiam & Natalitia Domini in hoc mundo in stabulo nati decantemus, vt eadem in cælo quoque, vbi regnat in gloria, aliquando canere valeamus, ad quod nos perducat Pater, & Filius, & Spiritus S. Amen.



IN FESTO S. STEPHANI  
PROTOMARTYRIS.

Partitio.

1. De præstantia Martyrii.
2. De supplicio lapidationis & Martyrum fortitudine.
3. De inuicō Protomartyrio S. Stephani.
4. De visis cælis apertis.
5. De intendente in cælum.
6. De orante pro suis lapidatoribus.

Video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei. Actor. 7.

F. I. G. V. R. A.

INNOCVVS Israelita Naboth, cum per- 3. Reg. 15.  
fido Regi Achab, quam à maioribus acceperat vineam nollet cedere, impia Iesabelis astu accusatus & circumuentus, regio tandè edicto lapidibus obrutus fuit, & extinctus. Hodie nouus quidam Israelita, Leuita scilicet Stephanus, ob Ecclesie, quæ vere Iesu Christi Patris nostri cælestis, vinea est, defensionem nefarie accusatus, perfidæ synagogæ, quæ gentibus dominatur, iussu & imperio ad lapides cõdemnatur, & cõdemnatus occubuit. O iudicium iniquum! ô cruentum martyrium! ô mortem nimis ah atrocem! cetera, quæ ad eandem spectant, scietis, si Spiritus S. opem inuocauerimus, ac Deiparam solitis verbis salutauerimus; dicamus igitur omnes vnanimi voce:

A. V. E. M. A. R. I. A.

Tanti semper à Sanctis olim Patribus, I.  
Auditores, in Ecclesiis diuinum illud martyrii priuilegium habitum est, nihil vt aut excellentius, aut quod maioris meriti foret, in Christiana posse religione reperiri censeret. Martyrii dignitas.  
Huius opinionis fuit Angelicus D. Thomas, art. 1. q. 12.  
qui nimirum Martyrum triumphos ipsis Confessorum ac Virginum trophæis & coronis, art. 24.  
aliorumq; Sanctoꝝ gloria longe anteponebat.  
Et